


Enoch Svantenius Anastasius Lütkemann

**Collegii Super Augustana Confessione Privato-Publici Disput: I. exhibens
Prooemialia, tum de Libris Ecclesiarum nostrarum Symbolicis in genere, tum de
A. Confessione in specie**

Rostochii: Kilius, [ca. 1671]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740899007>

Druck Freier  Zugang



RU theol. Dez. (1671)

Svantenius, Enoch
~~Lütke~~mann, ~~Anastasi~~us

29
157
I. N. J.
COLLEGII SUPER AUGUSTANA CON-
FESSIONE PRIVATO-PUBLICI
DISPUT: I.
exhibens

Prooemialia, tum de Libris Eccle-
siarum nostrarum Symbolicis in ge-
nere, tum de A. Confessione in
specie.

43
Quam,
Juvante Regum Rege JESU
Consensu Venerandæ Facultat. Theologicæ,
In illustri ad Varnum Academia,
PRÆSIDE

ENOCHO SVANTENIO,

S.S. Theol. D. & Profefs. Ordinario
Publico, ad D. Jacob. Ecclesiastæ,
ad ventilandum proponit


ANASTASIUS LÜTKEMAN,

Rostochiensis.

In Auditorio Magno ad d. I. Decembr.



(1671?)



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.

COLLEGIUM SUPER AUGUSTANA CON
FESSIONE PRIVATO PUBLICI
DISPUT: I

Procrimilia, cum del'ibris cele
stium nostrarum Symbolicis in ge
nera, cum de A. Confessione
Ipsic

Invenit Regum Regni Jesu
Christi Veneranda Facultas Theologica
in Illustri Vniversitate Academi

PRÆVIDE
ENOCHO SVANTENIO

S.S. Theol. D. & Prof. Ordinario
Publico, ad D. Jacob. Felsch

ANASTASII LUTKEMAN

Rostochiensis
In Auditorio Magno ad S. I. Decembris



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS ...

I. N. J.

QUos jam per xxiv. Septimanas & ultrà, a-
deòq; præterito semestri, prælectioni-
bus illustravi publicis, iisque per D. gra-
tiam continuis, xiv nempe Articulos A.
Confessionis priores, quosq; deinceps futuro se-
mestre, Septem *doctrinales* residuos, Septem-
quoque *abusuum*, pari studio, h. e. Si DOMINUS vo-
luerit, haud interrupto, prælecturus sum porrò,
hos jam ex ipsis prælectionibus in certas The-
ses digestos, peculiari Collegio privato - publi-
co, tanquam in spicilegio sub incudem dispu-
tationum revocare animus est, ut sic intra an-
ni spatium & disputando & prælegendo absol-
vi queat totum A. Confessionis curriculum,
quod deinde b. c. D. *Formula* excipiet CON-
CORDIÆ. Esto igitur Disputationis I. De
libb. Symb. in genere & A. C. in specie.

Thes. I.

UNica regula & norma, secundum quam omnia dogmata o-
mnesque Doctores aestimari & judicari oportet, est Scriptura S.
canonica, scriptis Prophet. & Apostolor. in Vet. & N. T. com-
prehensa. Sic n. Psaltes. *Lucerna pedib. meis verbum tuum: & lumen
semitis meis, &c.* Ps 119. v. 105. *Etiamsi Angelus*, inquit Paulus, *de
calo aliud prædicet Evangelium, anathema sit.* Gal. 1. v. 8.

Th. 2. Reliqua vero, siue Patrum siue Neotericorum scripta,
quocumque veniant nomine, sacris literis nequaquam sunt æquipa-
randa.

A

Th. 3. Quin

Thef. 3. Quin potius universa illa sacrarum literarum *authoritati*, ita subjienda, ut alia ratione non recipiantur, nisi testium loco, qui doceant, quod etiam post Apostolorum tempora, & in quib. partib. orbis doctrina illa Prophetarum & Apostolor. siacerior conservata sit.

Th. 4. Quandoquidem v. non multò post Apostolorum tempora, quin imò cum adhuc superstites essent, falsi Doctores & haeresium architecti sunt inventi, pro Christianis se venditantes, qui miserè imperitos, ut Serpens Hevam, seducere inceperunt.

Th. 5. Coacti sunt contra hos Orthodoxi in primitiva Ecclesia *symbola* quaedam componere, quæ unanimem catholicæ Christianæ fidei consensum, Confessionemque orthodoxorum & veræ Ecclesiæ in verbo Dei solide fundatam complecterentur.

Th. 6. Cæterum, ut subinde alii atque alii exorti sunt errores, *symbola* etiam illa sunt aucta & ad præsentem ecclesiæ statum, accommodata adaptataq., ut sic ecclesia à falsorum Doctorum conciliabulis distingueretur.

Th. 7. *Symbola* illa, sive quod *ὄνομα ἐπιβάλλειν* à conferendo, quod plures aliquid in unum conferant, adeoque à *Commensibus* vel conviviiis de *consertis*, sive à *Symbolo*, indicium ac signum significare, nomen trahant, egregiam utrobique usu Ecclesiastico similitudinem ac Commonefactionem important.

Th. 8. ILLIC, quod, uti de substantia Collecti in unum sodales in medio conferebant ad solemnes epulas, & ad Cænæ communes expensas, ita & ecclesiarum patres de populorum salute solliciti ex diversis voluminib. scripturarum collegerint testimonia, divinis graviora sacramentis, & disponentes ad animarum partum salubre convivium, selegerint verba breviter & certa, expedita sententiis, sed diffusa mysteriis.

Th. 9. HIC, quod, ut in militia, ubi par est armorum habitus & sonus vocis idem, eademque instituta bellandi, ne qua doli-surreptio fiat, *Symbola* distincta unusquisque Dux militibus suis tradit, quæ latine indicia s. tessaræ nominantur, ut si fortè occurreret quis, de qua dubitaretur, *symbolum* prodatur, si sit hostis vel socius, haud aliter compendium fidei *symbolum* appelletur, quia est quæ tessera, qua Christianus miles, qui sub signis Christi militat, discernitur tum ab apertis hostib. puta ethnicis Judæis & aliis, tum etiam

ab

ab hæreticis, quorum quidam tessera hanc præ se quidem ferunt, veruntamen à veris Christianis facile discernuntur, quia articulos Symboli integros non retinent, sed omnes, ferè corrumpunt sædissimè.

Th. 10. Est igitur ejusmodi Symbolum nihil aliud, quam vel *epitome*, summa sive regula fidei & brevis & grandis, brevis, numero verborum, grandis, sacramentis & pondere sententiarum, sive, quod idem ferè est, Compendium quoddam doctrinæ *declaratorium*, de fide Christiana certo ordine dispositum ac digestum, eoque fine compositum, ut hæresib. obortis ecclesiæ doctrina in verbo Dei solidè fundata, ab hæretica, item ecclesiæ filii ab hæreticis & eorum sectatoribus fecerentur.

Th. 11. Requisita ejus sunt ratione *scripturae, conformitas*, ut nihil habeat symbolum, quod non vel literaliter, vel virtualiter in Scripturis contineatur. Rom. 12. v. 7. ratione *Ecclesiæ, Discretio*, ut Symbolo velut tessera orthodoxi ab heterodoxis dignosci & discerni queant à quovis.

Th. 12. Differunt à Scripturis symbola, i. qua *principium*. Scriptura *ἀπόθεν* est à Deo 2. Pet. 1. v. 21. adeoque *θεογενές* 2. Tim. 3. v. 16. Symbola *ἐπιπέρας* & per scripturam. 2. qua *formam*, Scriptura *formaliter* est ipse Dei sensus: Symbolum *ecclesiæ consensus*, illa *ἐνταλθής ἐν τῷ πνεύματι* 2. hæc v. *minimè*, illa cum *credendi necessitate*, hæc cum *judicandi libertate* recipienda. 3. Qua *materiam*, scriptura continet doctrinæ caelestis *principia*, Symbola *conclusiones* è scriptura derivatas & doctrinæ caelestis *suffragia*, ideoque ipsi constat *authoritas* *πρώτως* & *κατ' αὐτὸ*, his v. *θεοτέρας* & *κατ' ἄλλο*. Principia n. acceptantur simpliciter, conclusiones propter principia. Continet insuper scriptura omnia ad salutem necessaria, & *credenda* & *facienda*, Symbola non est necessum isthæc omnia continere. 4. Qua denique *finem*, Scriptura est *regula* & *norma* fidei, Symbola vero *testium* tantum partes sustinent, ideoque tenentur testimonium suum ex amissim ad normam scripturæ conformare Esa. 8. v. 20.

Th. 13. Ejusmodi symbola sunt vel *Oecumenica*, h. e. communi & publico ecclesiæ nomine conscripta vel *particularia*, paucarum duntaxat quarundam particularium ecclesiarum propria.

Th. 14. Oecumenica, vel *Apostolicum*, vel *Nicenum* & *Athanasianum*

hanum, quorum illud potissimum factum dicunt ad fidei *instructionem* istud ad fidei *explanationem*, hoc ad fidei *defensionem*.

Th. 15. Apostolicum, quod magno Veterum consensu Apostolis adscribitur, sive quod ab illis in commune scriptum ac editum existimabant, sive quod compendium istud ex doctrina per eorum manus tradita, bona fide collectum, tali elogio confirmandum, consenserunt Romani Occidentalis Ecclesiae Episcopi & Doctores.

Th. 16. Apostolico cognata sunt ecclesiastica *Nicenum* & *Athanasianum*, quib. & addita *Ephesinum*, *Chalcedonense* &c. quae tamen non nisi explicationes sunt priorum, unde & *Constantinopolitanum* à scriptoribus quoque vocatur *Nicenum*, & in hoc ab Apostolico differunt, quod eo sint inferiora, non ratione *certitudinis*, sed *antiquitate autoritate* & *usus amplitudine*.

Th. 17. Post Apostolicum, celebratissimae famae, atque estimationis, *Symbolum est Nicenum*, à loco ita dictum, quo Synodus à Constantino M. erat evocata, & Arianis blasphemis opposita, circa Annum Christi 328. cui praeter ceteros Viros pios ac eruditos 318. variis e. nationib. & provinciis Episcopi interfuerunt.

Th. 18. *Nicenum* excipit *Athanasianum* ab Athanasio Episcopo Alexandrino ad confutandos reprimendosque, tum *Arrianos*, cum *Pneumatomachos* adornatum.

Th. 19. Quae tria Symbola nostrae Ecclesiae ceu ex asse, *ὁμόψηφα* gratò animo amplectimur, constanti fide tenemus, & sonoro ore profitemur, quod ut documento publico constaret, praefixa ea sunt *Libro Concordiae* p. 1. ed. Lips. Ao 80.

Th. 20. Tanquam orthodoxum recipimus quoque *Symbolum Ephesinum*, conditum Anno 434. sub *Theodosio juniore* adversus *Nestorium*, qui commentus est: *duas in Christo naturas non esse hypostaticè unitas, sed Deum Verbum ex semine Davidis sibi hominem adjunxisse, eiq. gloriam & honorem & adoptionis dignitatem tribuisse, cui ipsum verbum κατὰ τὸ ἄρσενον αἰτίηται, ut amicus amico.*

Th. 21. Recipimus & illud alterum, quod post subsecutum & in *Chalcedonensi synodo* est editum Anno 454. ad reprimendam *Eutychi impietatem*, sub imperatore *Martiano*, praesentibus 630. Patrib. cujus est summa: *quod humanam Christi naturam in divinam conversam esse asseruerit.*

Th. 22.

Th. 22. *Constantinopolitanum*, contra Macedonii hæresin, quæ
Sp. S. Deitatem infestavit, Constantinopoli coactum, cum Niceno à
Scriptorib. habetur pro uno, tum, quod quicquid est in Niceno, id
contineatur iisdem verbis in *Constantinopolitanis*, & quicquid apposuit
Constantinopolitanum, id *ἰσοπέτῃ* h. e. *potentiâ virtute insit in Ni-*
ceno, ac majoris solum claritatis causa, postea adjunctum sit, tum
quia major esset Nicenæ Synodi authoritas: ut quæ omnium univer-
salium scilicet Ecclesiasticarum antiquissima, & cæterarum funda-
mentum, cujus etiam Symbolum in usu esset frequentior.

Th. 23. *Particularia*, non ratione *doctrinæ*, sed *circumstantia-*
rum, loci, temporis, personarum, Schismatum, &c. & quidem nostræ
Ecclesiæ, nostrique temporis sunt, quib. post publica & catholica il-
la tria (quibus primas defert) secundas tribuit Formulâ Conc. *Augusta-*
næ Confessionis, primæ illi, minimeque variatæ, ejusdem Apologiæ,
tertias Articulis Smalcaldicis, Quartas utrique Cathéchismo Lu-
theri, Majori & Minori, prout ii Tomis Lutheri sunt inserti. Po-
stremas denique solidæ illi Declarationi Controversorum Articulo-
rum, quam ipse Liber Concordiæ exhibet.

Th. 24. Hos inter libb. ita dictos Ecclesiarum nostrarum Sym-
bolicos, nulla post ætas, nec seculum ullum vidit *symbolum*, si *mate-*
riam spectes, *sanctius*, si *formam* consideres, *ornatius*, & *ordinatius*, si
authores intuearis, vel *Quibus*, vel à *Quibus* exhibitum est, *augustius*, si
finem perpendas, & Deo *gloriosius* & hominibus *salubrius*, AUGU-
STANA CONFESIONE, quæ publica Ecclesiarum nostrarum,
testera ac militiæ nostræ spiritualis *Sacramentum* est, quo secundum
S. Literas non tantum à catib. papalibus discernimur, verum etiam
à quibuslibet aliis sectis, cujuscunque eæ sint furfuris, distinguimur,
et si quid iis contrarium esse deprehenditur, id rejiciendum atque
damnandum est, quippe quod cum unanimi fidei nostræ ex solido Dei
verbo de prompta declaratione è diametro pugnet.

Th. 25. Quod tamen non in eum sensum à mente nostra a-
lienissimum raptum volumus, qu. *Aug. Confessionem SACRIS LITE-*
RIS vel præponamus vel exequemus.

Th. 26. Agnoscimus enim tantum esse discrimen inter *sacras*
litteras & omnia alia *Symbola*, quantum inter *demonstrationes* ipsam-
que immotam *veritatem* & proprias rei *causas*, & inter *veritatis testi-*
monia, ac demonstratæ ex propriis causis scientiæ *approbationem*.

Th. 27. Luculentum itaque discrimen inter sacras V. & N. T. literas & omnia aliorum scripta retinemus ita, ut sola S. Scriptura *index, norma & regula* agnoscat, ad quam, ceu ad Lydium lapidem orania dogmata exigenda sunt, & ut paulò ante dictum, judicanda: ut *piane*, an *impia*, Vera an *falsa* sint, deprehendatur.

Th. 28. Commemorata verò illa *Symbola*, & alia scripta, *librique* ita dicti *Symbolici*, imprimis verò *Confessio* nostra Augustana non obtinent *authoritatem* iudicis, hæc enim dignitas solis sacris literis debetur.

Th. 29. Sed duntaxat pro religione nostra testimonium dicunt, eamque explicant, ut manifestum fiat, in qua sententia S. Literas acceperint, easque quomodo interpretati sint ecclesie illæ, quæ tunc erant, & quib. rationib. dogmata cum s. scriptura pugnantia rejecerint atque condemnaverint.

Th. 30. Dicitur *confessio*, quæ ut est vel *laudis* vel *fraudis*; ita eam ceu *laudis*, (quia est confessio fidei) eo ita appellamus SENSU, quod Ap. hac voce usus est 1. Tim. 6. v. 12. Et Proph. Dav. Ps. 105. v. 1. quippe quod edito de fide nostra *testimonio* Deum glorificemus.

Th. 31. Dicitur *Augustana*, non quia doctrina, quæ in ea Confess. continetur, Augustæ Vindelicorum tanquam nova religio & uti Pontificii calumniatur, quintum Evangelium, fuerit primum adinventata & excogitata.

Th. 32. Sed dicitur *Augustana*, à loco, quod Augustæ Vindelicorum in solemnib. Imperii comitiis, Imperatori Carolo V. fuit exhibitata, tanquam ab externo *adjuncto* sive accidente, sicut Niconum dicitur à Nicea, Constantinopolitanum à Constantinopoli, Ephesinum ab Epheso, Chalcedonense à Chaleedone, &c.

Th. 33. Respective quoq; est & dicitur *Symbolum*, non quod *Symbola* illa Veterum priora vel ipsa quoq; Oecumenica abolenda esse, statuat, quæ insignis est pontificiorum calumnia

Th. 34. Sed quia *summam doctrine*, quæ tempore exhibitionis ejusdem publice sonuit in Ecclesiis Evangelicis, non tantum complectitur, quo nomine & editum est ut *fidei Symbolum*, uti videre est è præfat. & conclus. finali A. C. nec non ex Actis A. C. sed & quod eadem confessio in plerisque conventib., comitiis, colloquiis de religione habitis, post exhibitionem, tanquam *Symbolum* Evangelicorum fuerit reputata; adeoq; & *Symboli* insuper requisita habeat.

Que

Th. 35. Quo & facit, quod Anno 1532. ea ipsa conditionib. Pa-
eis fuerit inserta, *ceu summa religionis, que in ecclesijs reformatis doceri*
permitteretur, quod in *Pacifications Passaviensi*, tanquam *Symbolum*
eorum, qui juxta Pontificiam Religionem, pacē solida religionis
gaudere debent, *producta*, quod ut *Symbolum* deinceps horum ten-
porum perpetuo consensu *habita ab orthodoxis*, quemadmodum Ele-
ctor Principes & S. R. I. in Germania ordines testantur Præs. Forra.
Conc. in qua & statim trib. Symbolis Oecumenicis, Apostolico, Ni-
ceno & Athanasiano subjungitur.

Th. 36. Nec enim *symbola posteriora veritati* derogant prio-
rum, quæ omnibus Symbolis communis esse debet, sed *mendacis*, quæ
infinita subinde procedunt, neq; etiam Apostolicum scripturis Pro-
phetarum, neque Apostolico Nicenum, neque Nicenum Athanasta-
no contradicte, sed egregie illa confirmat.

Th. 37. *Circumstantias*, quia miris prolixum foret & ab insti-
tuto nostro alienum recensere singulas, indigitamus & *antecedentium*
& *concomitantium* & *consequentium* potissimas, ex ipsa Hist. A. C. &
celebratissimorum Theologorum deductione accuratissima plenius
colligendas.

Th. 38. *Antecedentia*, eaque *remota* sunt, 1. B. Lutheri re-
formatio, 2. Reformationis inhibitio. 3. Concilii generalis po-
stulatio, *Proxima*, tum Cæsarea comitiorum Augusti, *iudicio*, tum
Lutheranorum Principum ad frequentanda Comitia *Cohortatio*,

Th. 39. *Concomitantia*, *conscriptio*, *exhibitio*. De illa re-
fert *Cales.* p. 1. A. C. pag. 25. quod accepto ab Electore Saxonie Jo-
hanne mandato, Theologi consultarint, quamnam formā commoda
& erudita methodo, doctrina Evangelica in Ducatu Saxonico & a-
liorum Principum usitata conscriberetur, & *Augustæ* exhibere-
tur.

Th. 40. Quæ res cum ad Lutherum potissimum spectaret, ipsi-
que soli transigenda incumberet & demandata esset, *primquam* iter
Augustum susciperet, *articulos septendecim* composuerat, quib. Chri-
stianæ fidei & Doctrinæ summam complexus erat.

Th. 41. Hos articulos, præcipuè Philippo in scribenda Con-
fessione propositos fuisse testantur i. *eadem verba* & phrasas aliquot
in articulos relatæ 2. *Ordo & series* articulorum ferè similis. 3.
Epistola Electoris Johannis II. May Augustæ una cum *revisis à Philippo*
arti-

articulis datis, quib. significat Philippum articulos revidisse, cui Lutherus 15. May, *eximie hoc sibi placere* respondit. Vide Chytr. p. 32. H. A. C.

Th. 42. De hac nim: *exhibitione* notant Historici & *Occasionem & Locum & Tempus. &c.*

Th. 43. *Occasionem*, & quidem *Remote*, tum *propositionem* C. M. in A. Comitii die 20. Junii per Fridericum Palatinum factam, tum *mandatum* Imperat. ad protestantes, ut sententiam de abusib. emendandis scripto comprehensam C. M. exhiberent. *Proximè* *Velitationem* Cæsaris & Protestantium 24 Junii institutam.

Th. 44. Quam ipsa subsecuta est *exhibitio* Anno 1530. 25 Junii tum *recitatione*, tum *oblatione*, quæ vicissim & *ausultationem*. subinferunt & *acceptationem* Cæsaris, facta, & quidem *latinè & germanicè*.

Th. 45. *Consequentia* sunt partim 1. *Confessionis* in varias linguas translatio & publicatio. 2. *Prototypi* ad Archivum Imperii depositio. 3. *Tentata Confessionis refutatio*, ejusque *Apologetica defensio*, verbo: Duodecim huc pertinent admiranda providentiæ divinæ circa A. C. peculiari scripto a nominatissimo hujus Acad. olim Theologo uberius deducta.) partim *subita animorum mutatio*, quæ fita *Compositio*, Comitiorum *Catastrophe*, Lutheri & adherentium, ipsi *Condemnatio*, varia *colloquia*, paciæ *prorogatio*, *Paffaviensis pacificatio*, ejusdem in A. Comitii *Confirmatio*, vi cujus eodem jure gaudet A. nostra *Confessio*, quo Pontificiorum religio, pro quo insigni beneficio sit gloria Deo in secula benedicto!

Th. 46. *Causæ* insuper si sint addendæ *Confess. A. Efficiens* primaria est Sp. S. qui non ἀπέσωσεν sed per Scripturam S. ἐπέσωσεν authores secundarios ita informavit, os & Sapientiam illis tribuit, deque Cælesti veritate eos ita reddidit θελοῦντας, ut vel Ἰπὶ ἔργῳ ἐκ μῦθου constituti, nihilominus μετὰ πολλῆς παρανοίας rationem reddere potuerint fidei, quæ in illis erat.

Th. 47. *Organica* vel *Secundaria*, si *inventionem*, *dispositionem*, *elocutionem*, *elaborationem* spectes, fuit illius ecclesia orthodoxa, istius Lutherus, hujus Philippus Melanchton.

Th. 48. *Materia est* vel *Ex qua*, vel *Circa quam*.

Th. 49. *Ex qua*, verbum est Dei purum Scripturis Canonice Pro-

Prophet. & Apost. comprehensum, quod & *Norma* est, & *fundamentum* hujus Confessionis.

Th. 50. *Minus principalis & secundaria iterum duplex est, remota & propinqua, illa sunt publica scripta B. Lutheri, hæc 17. Artic. à Luthero ante comitia Augustana, jussu Electoris Saxonici in literas redacti.*

Th. 51. *Circa quam, seu objectum circa quod ea est occupata, sunt tum fidei dogmata, quæ adstruuntur, non quidem omnia, sed quæ tunc potissimum erant controversa, tum abusu Papalium βδελύγματα, quæ rejiciuntur, quoque potissima, & hæc generale totius Symboli Augustani nobis exhibent argumentum.*

Th. 52. *Forma, vel interna est vel externa. Interna, Sensus genuinus Confess. & orthodoxa de prædictis articulis sententia. Externa, dispositio & tractationis methodus hæc est, ut in doctrinalib. plerisq; habeatur tum orthodoxiæ confirmatio, tum heterodoxiæ condemnatio. in moralib. abusus redarguuntur Papistici.*

Th. 53. *Estq; aded argumentum A. C. partim διδασκαλικόν, orthodoxiam in thesi adstruens, partim ἐλεγχτικόν, ἐπεροδοξίαν ἐν antithesi destruens.*

Th. 54. *Finis. 1. Summus & ultimus, est Dei gloria. 2. Subordinatus sive Intermedius est, purior Cæl. doctrinæ propagatio, Imperatori fidei rationem exigenti satisfactio, causarum factæ à Romana ecclesia, discessionis & reformationis expositio, calumniarum de belujnis nostratum morib. fanaticis doctrinis, pestilentissima Lutheranorum hæresi &c. depulso.*

Th. 55. *Dividitur A. C. in duas partes, quarum Prior Doctrinæ articulos habet Viginti & unum. Posterior abusus in ecclesiam sub Papatu invecos, illucescente verò Evangelio emendatos describit, & articulis septem complectitur.*

Th. 56. *Articuli doctrinæ sunt. 1. De Unitate essentiæ. 2. de peccato Originis. 3. de Christo. 4. de justificatione. 5. de Ministerio verbi & sacram. 6. de B. Operib. 7. de Ecclesia. 8. de hypocritis & malis in ecclesia admixtis fidelibus. 9. de Baptismo. 10. de S. Domini Cena. 11. de Confessione. 12. de penitentiâ. 13. de usu Sacramentorum. 14. de ordine Ecclesiastico. 15. de ritibus Ecclesiasticis. 16. de rebus s. ordinationibus*

B

civilibus

civilibus. 17. de extremo iudicio, 18. de libero arbitrio, 19. de causa peccati. 20. Collatio de fide &c. 21. de Sanctorum cultu.

Th. 57. *Abusuum* articuli sunt septem. 1. De utraque specie. 2. de Coniugio Sacerdotum. 3. de Missa. 4. de Confessione. 5. de discrimine ciborum. 6. de Votis monasticis. 7. de potestate Ecclesiastica, quas vulgato complecti solemus disticho.

*Utraque, conjugium, Missa, Confessio, Vota,
Discrimenq; cibi, iuraque Pontificum.*

Th. 58. In priori parte, ut historici referunt, multi articuli in ipsis Comitibus simpliciter & sine ulla conditione, ceu orthodoxi sunt approbati & recepti, quidam certa limitatione, licet de quibusdam secundum quid dubiteretur.

Th. 59. *Prioris ordinis* volunt 1. 3. 8. 9. 16. 17. 18. in his. ajunt nihil desiderabatur, nec jure desiderari, ut nec in aliis, poterat *Posteriori*, ordini assignabantur, 2. 4. 5. 10. 11. 13. 14. 15. 19. hos certa limitatione & restrictione admitti posse dicebant.

Th. 60. Verum illæ ipsæ declarationes, quas adversa pars intendebat, continebant illos errores, quos nostri juxta scripturæ sacre Cynosuram in Papistis damnabant.

Th. 61. In *Posteriore*, septem è præcipuis abusibus sive corruptelis pontificiis perstringuntur, quæ injuriâ temporum, Sathanæ instinctu, ac luxuriante hominum malitia in Ecclesiæ pomœrium introductæ sunt.

Th. 62. De *Calumniis*, usque variis & fere infinitis, quibus impetum fuit hoc Ecclesiarum nostrarum Symbolum, non attinet multa huc transcribere, prostant illæ passim, a nostratibus solide refutate.

Th. 63. *Confessionis formula* uti tribus constat partibus. 1. *Prefatione*. 2. *articulorum tractatione* theologica. 3. *Epilogo* & subscriptione homologetica.

Th. 64. Ita *Prefatio* absolvitur duabus partibus, quarum *prima* concernit hanc fidei *Confessionem*: *altera* Concilii generalis *inditionem* & *convocationem*.

Th. 65. Quod igitur, A. Confessionem veluti præciosissimum *κεφάλαιον* veneremus, & ut Sacratissimum depositum custodiamus, ejus rei causas, uti vidimus, nec numero paucas habemus nec pondere leves.

Th. 66.

Th. 66. *Authorem* habet Deum Sp. S., ex *Scriptura* Prophet. & Apoft. est deducta, observata *ἢ ὑποτυπώσεαι τῶν ὀργανόντων λόγων*, quam dexterrimè proponit, non tantum *articulorum fidei sensum* in se *rectum* & orthodoxum habet, sed *sermone etiam recto* & sano de iisdem loquitur. Non *tumultuariè* est collecta, nec *festinanter* à Melanchtone elocutionem adhibente, ultimamque XVII à Lutherò consignatis articulis manum admovente, nec ad Pontificiorum animos *inseandos timidi* usculè scripta est.

Th. 67. Et licet à nonnullis alicubi *mutata* & quædam expuncta; Tamen urgentib. id ipsis etiam nostratib. solemnè scripto in integrum fuit publicè restituta, & sic contra priorem *variationem pura* facta est *publicèq. invariata*. Augustana nostra Confessio.

Th. 68. Non *tumultuariè est collecta*; Sed præcedente *exacta* *Doctorem de singulis capitib.* disquisitione & B. Lutheri *approbatione* procurantib. *æternâ memoriâ* ac celebratione dignissimis *Heroibus & confessoribus* constantissimis, *Electore Saxone* cum parastatis eorum, Augustissimo Imperatori, CAROLO V. & totius R. Imperii frequentissimo Senatui, Anno 1630 25. Junii. *prælecta, exhibita, acceptata*, in multas linguas *translata*, inque orbem *penè universum divulgata* totque præterea *palpabilib.* providentiæ divinæ documentis nobilitata est.

Th. 69. Stetit hæc hactenus & Deo benè vertente, deinceps porrò stabit hæc nostra confessio A. contraq. ipsas inferorum portas, prævalebit, id quod tam potenter & solide est evictum, ut verè ipsi appensa fuerit hæc clausula: *Hæc ferè summa est doctrine apud nos, ex qua cernè potest, nihil inesse, quod discrepet à scripturis.*

Th. 70. *Benedictus sit Deus, qui non amovit misericordiam suam à nobis, Nunc iterum lux orta est iusto, & rectus corde letitia. Notum fecit DOMINUS salutare suum in CONSPECTU GENTIUM revelavit iustitiam suam.* Canamus ergò & dicamus pariter. *Halleluja! Regnabit Deus noster omnipotens! Halleluja!* Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei. *Omnis Spiritus laudet Dominum, Halleluja.*

Et hac vice tantùm!

Ad

Ad Pranobilem & Praestantissimum
DN. ANASTASIUM Lückemann/
Publice Respondentem.

Sic rursus cathedram conscendis! Gratulor
ausus.

Qui nunc Micrander, sic Megalander eris.

Celerrimè, cum voto appo'uit

AUGUSTUS VARENIUS, D.

Collegii Theol. h. r. Decanus.

Ad per. Eximium & Doctiss.

DN. RESPONDENTEM,

Celebratissimi Parentis, Collegæ quondam conjunc-
tissimi, non degenerem FILIUM.

Fidus, ANASTASI, Genitor tuus alter Achatas

Quàm mihi amicus erat, quàm nos conjunxerat ambos,

Una domus DOMINI, facientes sacra sodales!

Quid magis in votis habeam, quid milleque mecum,

Quam patris in Nato pietas probitasque *resurgat?*

Fiat ANASTASI, toties jam pulpita scandis

Utraque, jam pedibus clari vestigia Patris

Calceas, quis dubitet tandem quin doribus auctus

Egregiis, animo referas quoque facta parentis,

Et Pater in Nato *Lückman* velut ipse resurgat?

Fiat ANASTASI! Mensuram nominis imple,

Clara patris *surgat* virtus & *amabile* nomen,

surgat. & ut *Surgis* tua vivida fama perennet!

Sic erit, ut dicant, *Lückmanni* clara propago

SURGIT, ANASTASIUS, quin nomen & omen habebit.

Cum voto omnis in JESU felicitatis, qui est

GALEA PIORUM scribeb.

P R Æ S E S.



Th. 66. *Auctorem habet Deum Sp. S., ex Scrip-
Apost. est deducta, observata ἡ ὑποτιμωσις τῶν ὑπὲρ
quam dexterrimè proponit, non tantum articulo
in se rectum & orthodoxum habet, sed sermone etia
iisdem loquitur. Non tumultuariè est collecta, nec
lanchtone elocutionem adhibente, ultimamque XVI
signatis articulis manum admovente, nec ad Pontifi
inescandos timidi usculè scripta est.*

Th. 67. *Et licet à nonnullis alicubi mutata &
cta; Tamen urgentib. id ipsis etiam nostratib. solem-
tegrum fuit publicè restituta, & sic contra priorem
facta est publicèq; invariata. Augustana nostra Confes-*

Th. 68. *Non tumultuarie est collecta; Sed pr
Doctorum de singulis capitib. disquisitione & B. Lut
procurantib. æternâ memoriâ ac celebratione dignis
confessoribus constantissimis, Electore Saxone cum p
Augustissimo Imperatori. CAROLO V. & totius R.
tissimo Senatui, Anno 1630 25. Junii. prælecta, exhib
multas linguas translata, inque orbem penè uni
totque præterea palpabilib. providentiæ divinæ docu
est.*

Th. 69. *Stetit hætenus & Deo benè vertente, dein
hæc nostra confessio A. contraq; ipsas inferorum po
id quod tam potenter & solide est evictum, ut vere
rit hæc clausula: Hæc ferè summa est doctrinæ apud n
potest, nihil inesse, quod discrepet à scripturis.*

Th. 70. *Benedictus sit Deus, qui non amovit misericord
Nunc iterum lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.
MINUS salutare suum in CONSPECTU GENTIUM repe
am. Canamus ergò & dicamus pariter. Halleluja
noster omnipotens! Halleluja! Gaudeamus &
demus gloriam ei. Omnis Spiritus laud
num, Halleluja.*

Et hac vice rantùm!

